102

102

KL Januarius habet dies
xxxi. luna uero xxx.

iii	A		Circumcisio domini
	b		Octaua s' stephani
xi	c		Octaua s' iohannis
	d		Octaua scõrum innocentum
xix	e	Nõs	Octaua sancti thome
viii	f		Epyphania domini
	g		ysidori martiris
xvi	A		Gudule virginis.
v	b		Iudoci confessoris
	c		pauli p'mi heremite
xiii	d		Saturnini m'ris
ii	e		Cyriaci martiris
	f	Id'	Octaua epyphanie
x	g		Felicis presbri
	A		Mauri abbatis

xviij	b	Marcelli pape
vij	c	Anthonij abbis
	d	priſce uirginis
xv	e	Marij et marthe
iiij	f	ſabiani ⁊ ſebaſtiani
	g	Agnetis uirginis
xij	A	Vincentij mr̄is
j	b	Emerentiane uirg'
	c	Thimothei mr̄is
ix	d	Conuerſio pauli
	e	policarpi epiſcopi
xvij	f	Johannis criſoſtoni
vj	g	Agnetis ſecundo
	A	Valerij epiſcopi
xiiij	b	Aldegundis uirg'
iij	c	Jacincti mr̄is

KL Februarius habet dies
xxviii. luna vero xxix.

	d		Brigide virginis
xi	e		Purificatio marie
xix	f		Blasii episcopi et mr̄
viii	g		Magni martiris
	A	Nōs	Agathe virginis
xvi	b		Amandi episcopi
v	c		Crisolii episcopi
	d		Appollonie virgis
xiii	e		Ansberti episcopi
ii	f		Scolastice virgis
	g		Domiciani confessoris
x	A		Victoris martiris
	b	Idus	Juliani martiris
xviii	c		Valentini epī
vii	d		Gilberti abbatis

	e	Juliane virginis
xv	f	Pancronij episcopi
iiij	g	Appollinaris mr̄is
	A	Galli abbatis
xij	b	Eleutherij epi
j	c	Marcelli mr̄is
	d	Cathedra petri
ix	e	Policarpi epi
	f	Mathie apli
xvij	g	Donati mr̄is
vj	A	Fortunati mr̄is
	b	Alexandri epi
xiiij	c	Romani mr̄is

KL Martius habet dies
xxxj. luna vero xxx.

iij	d		Albini epiſcopi
	e		Simplicij pape
xj	f		Euſebij epiſcopi
	g		Adriani martiris
xix	A		Victoris martiris
viij	b		Quiriani martiris
	c	Nõs	perpetue virginis
xvj	d		Gaij martiris
v	e		Ponacij martiris
	f		Gordiani mrīs
xiij	g		Agapiti mrīs
ij	A		Gregorij pape
	b		Marcedonij epī
x	c		Feliciſſimi mrīs
	d	Idꝰ	longini martiris

xviii	e	Matrone uirginis
vii	f	Gertrudis uirginis
	g	Theodori mris
xv	A	Joseph cõfessoris
iiii	b	Cutberti episcopi
	c	Benedicti abbatis
xii	d	Justini martiris
i	e	Maximi episcopi
	f	Fidelis episcopi
ix	g	Annūtiacio marie
	A	Theodori episcopi
xvii	b	Resurrectio dñi
vi	c	Columbani mris
	d	Saturnini conf'
xiiii	e	Quirini martiris
iii	f	pastoris episcopi

KL Aprilis habet dies
xxx. luna uero xxx

	g		Ponciani martiris
xi	A		Marie egiptiace
xix	b		Pancracii martiris
viii	c		Ambrosii episcopi
	d	Nonas	Claudiani martiris
xvi	e		Celestini pape
v	f		Sixti pape
	g		Calixti pape
xiii	A		Theodosie virginis
ii	b		Ezechielis prophete
	c		Leonis pape
x	d		Julii episcopi
	e	Idus	Eufemie virginis
xviii	f		Tyburcii martiris
vii	g		Olimpiadis martiris

	A	Paterni episcopi
xv	b	Vrsmarii episcopi
iiij	c	Petri martiris
	d	Eleutherii episcopi
xij	e	Appollinii martiris
j	f	Marcelli episcopi
	g	Fortunati mr̄is
ix	A	Georgii mr̄is
	b	Eutropis mr̄is
xvij	c	Marci euuangel'
vj	d	Cleti pape et mr̄is
	e	Anastasii pp̄e et mr̄
xiiij	f	Vitalis martiris
iij	g	Petri noui mr̄is
	A	Germani episcopi

KL Mayus habet dies
xxxi. luna vero xxx

ij	b	Philippi et Jacobi
	c	Germani martiris
xix	d	Inventio crucis
viij	e	Walburgis virginis
	f	Gengulphi mr̄is
xvj	g	Johis ante portā latinā
v	A Nōs	Juvenalis cōfessoris
	b	Nycholay episcopi
xiij	c	Gordiani martiris
ij	d	Mamerti episcopi
	e	Nerei et achilei mr̄is
x	f	Marie ad mr̄es
	g	Servasij episcopi
xviij	A	Aquilij episcopi
vij	b Jo9	Ysidori martiris

	c	honorati episcopi
xv	d	Brandani mris
iiij	e	Torpeti martiris
	f	potentiane mris
xij	g	Basille uirginis
j	A	helene regine
	b	papie uirginis
ix	c	Transfiguratio dni
	d	Translatio dnia
xvij	e	Vrbani ppe et mris
vj	f	Translatio augustini
	g	Seraphionis presbri
xiiij	A	huberti episcopi
iij	b	Eutropij episcopi
	c	peregrini episcopi
xj	d	petronille uirgis

KL Junius habet dies
xxx. luna vero xxix

	e		Nychomedis mris
xix	f		Marcellini mris
viij	g		Celeſtini epiſcopi
xvj	A		Cypriani epiſcopi
v	b	Nōs	Bonifacij epiſcopi
	c		Gudewali epi
xiij	d		Luciane virgis
ij	e		Medardi epiſcopi
	f		Primi et feliciani mr̃
x	g		Landoaldi epiſcopi
	A		Barnabe apoſtoli
xviij	b		Baſilidis ſociorumque eius
vij	c	Jo9	Landoaldi epiſcopi
	d		Baſilij epiſcopi
xv	e		Viti et modeſti

iiij	f	Ciriaci et iulite mr̄
	g	
xij	A	Marci et marcelliani
j	b	Geruasij et prothasij
	c	Vitalis martiris
ix	d	Albini martiris
	e	Riquardi mr̄is
xvij	f	Vigilia
vj	g	Natiuitas Johis bapt'
	A	Eligij episcopi
xiiij	b	Johis et pauli mr̄m
iij	c	hylarini martiris
	d	Vigilia
xj	e	Apl'or petri et pauli
	f	Cōmēōratio s pauli

KL Iulius habet dies
xxxi. luna vero xxx

xix	g		Octava Johis baptiste
viii	A		Visitacio marie
	b		Translatio s thome
xvi	c		Domiciani mris
v	d		Transl s martini
	e		Octava petri et pauli
xiii	f	Nōs	Nicostrati martiris
ii	g		Kiliani martiris
	A		Effrem abbatis
x	b		Septem fratrum
	c		Benedicti abbis
xviii	d		Cleti pape et mris
vii	e		Anacleti pape
	f		Amelberge virg
xv	g	Io	Divisio aplorum

iiij	A	Monulphi ⁊ gondulphi
	b	Alexij confeſſoris
xij	c	Juſti epiſcopi
j	d	Arſenii abbatis
	e	Margarete virgis
ix	f	Praxedis virgis
	g	Marie magdalene
xvij	A	Appollinaris mr̄is
vj	b	xpine virginis
	c	Jacobi ⁊ xpofori.
xiiij	d	Anne mr̄is marie
iij	e	Septē dormientiū
	f	panthaleonis mr̄
xj	g	felicis et ſimplicis
xix	A	Abdon et ſenes
	b	Germani epiſcopi

KL Augustus habet dies xxxj. luna vero xxx

viij	c		Ad vincula petri
xvj	d		Stephani mr̄s
v	e		Inventio stephani
	f		Nichomedis mr̄s
xiij	g	Nōs	Dominici cōfessoris
ij	A		Sixti pape
	b		Donati episcopi
x	c		Ciriaci sociorumque eius
	d		vigilia
xviij	e		laurentij martiris
vij	f		Tyburcij sociorumque eius
	g		Clare virginis
xv	A	Id'	Ypoliti martiris
iiij	b		Vigilia
	c		Assumptio marie

xv	d	Arnulphi epi
i	e	Octaua laurentij
	f	Agapiti martiris
ix	g	Magni martiris
	A	philiberti epi
xvij	b	priuati martiris
vj	c	Octaua beate marie
	d	Thimothei mris
xiiij	e	Bartholomei apli
iij	f	ludouici regis fra͞c
	g	heruei et abundi
xj	A	Transl' katherine
xix	b	Augustini episcopi
	c	Decoll' Johis bapt'
viij	d	Transl' s donaciani
	e	paulini episcopi

KL September habet dies
xxx. luna uero xxix

xvj	f		Egidij abbatis
v	g		Iusti episcopi
	A		Remadi epi
xiij	b		Eleutherij epi
ij	c	Nõs	Bertini abbatis
	d		Amanti episcopi
x	e		Enorchij episcopi
	f		Natiuitas marie
xviij	g		Gorgonij martiris
vij	A		Prothi et Iacincti
	b		Guidonis confess
xv	c		hugonis episcopi
iiij	d	Id'	Philippi et Iacobi
	e		Exaltacio crucis
xij	f		Octaua beate marie

i	g	Eufemie uirginis
	A	Lamberti epi
ix	b	Ferreoli presbri
	c	Columbani mris
xvij	d	Vigilia
vj	e	Mathei apostoli
	f	Mauricij martiris
xiiij	g	Tecle uirginis
iij	A	Andochij presbri
	b	Firmini episcopi
xj	c	Cerodi episcopi
xix	d	Cosme et damiani
	e	Marcialis mris
viij	f	Michaelis archang'
	g	Yeronimi presbri

KL October habet dies
xxxi. luna uero xxx

xvi	A	Remigii et bauonis
v	b	Leodegarii episcopi
xiii	c	Duorum ewaldorum
ii	d	Francisci confessoris
	e	Fidis virginis
x	f	Marci pape
	g	Nōs. Marcelli martiris
xviii	A	Benedicte virginis
vii	b	Dyonisii confessoris
	c	Gereonis confessoris
xv	d	Gumari confessoris
iiii	e	Gengulphi episcopi
	f	Kalixti pape
xii	g	Donaciani episcopi
i	A	Id. Vulfranni episcopi

	b	Galli confeſſoris
ix	c	lucani mr̄is
	d	luce euuāgeliſte
xvij	e	pellagie virginis
vj	f	Caprasij martiris
	g	xj. milia virginū
xiiij	A	Seueri epiſcopi
iij	b	Seuerini epiſcopi
	c	ffelicis martiris
xj	d	Criſpini ꝛ criſpiniā̄i
xix	e	Tranſl' s' amandi
	f	vigilia
viij	g	Symonis ꝛ iude
	A	Tranſl' ſci piati
xvj	b	Saturnini epi
v	c	vigilia

KL November habet dies xxx. luna uero xxx

	d		Omniū sc̄orum
xiij	e		Cōmēoratio aiar
ij	f		Huberti epiſcopi
	g		Euſtacij epiſcopi
x	A	Nõs	Winoci abbis
	b		leonardi confeſſ
xviij	c		Willebrordi epi
vij	d		Quatuor coronator
	e		Theodori martiris
xv	f		Martini epiſcopi
iiij	g		Martini pape
	A		liuini epiſcopi
xij	b	Id9	Bricij martiris
j	c		Clementini mr̄is
	d		Machuti epiſcopi

ix	e	Gumberti epi
	f	Otmari confess
xvij	g	Octaua s martini
vj	A	Elizabeth uidue
	b	Emundi mris
xiiij	c	Columbani mris
iij	d	Cecilie uirginis
	e	Clementis pape
xj	f	Grisogoni mris
xix	g	katherine uirgis
	A	lini pape et mris
viij	b	Maximi episcopi
	c	Cesarij martiris
xvj	d	uigilia
v	e	Andree apostoli

KL December habet dies
xxxi. Luna vero xxx


	f		Eligii episcopi
xiii	g		Candide virginis
ii	A		Cassiani mris
x	b		Barbare virginis
	c	Nōs	Dalmatiani mris
xviii	d		Nycholai episcopi
vii	e		Octaua s' andree
	f		Conceptio marie
xv	g		Innocentii pape
iiii	A		Eulalie uirgis
	b		Damasi pape
xii	c		Omberti episcopi
i	d	Idus	Lucie virginis
	e		Nychasii episcopi
ix	f		Odile virginis

	g	Candidi m̃ris
xvij	A	Ignacij episcopi
vi	b	Agricole martiris
	c	Melciadis pape
xiiij	d	Mercurij martiris
iij	e	Thome apostoli
	f	Theodolie ũginis
xi	g	Eugenie ũginis
xix	A	uigilia
	b	Natiuitas domini
viij	c	Stephani prothom̃ris
	d	Johannis euuangel'
xvi	e	Scõrum Innocentiũ
v	f	Thome archiepi
	g	Perpetui episcopi
xiij	A	Siluestri pape


dominus + dominus

Salue ſancta facies no
ſtri redemptoris. In
qua nitet ſpecies di
uini ſplendoris. Im
preſſa panniculo ni
uei candoris. Dataqz
ueronice ſignum ob amoris. Sal
ue decus ſeculi ſpeculum ſanctorum.
Quod uidere cupiunt ſpūs celorum.
Nos ab omni macula purga uiciorū.
Atqz nos conſortio iunge beatorum.
Salue noſtra gloria ī hac uita du
ra. labili et fragili cito tranſitura. nos
perduc ad patriam o felix figura. ad ui
dendum faciem que eſt xpisti pura.
Eſto nobis qs tutum adiuuamē
dulce refrigerium atqz conſolamen.
Ut nobis non noceat hoſtile grauamē.
ſed fruamur requie omnes dicant. amē.

V. Signatum est super nos lumen uul
tus tui domine. R. Dedisti leticiā in cor
de meo. Oremus. Oratio. D
Eus qui nobis signatis lumē
uultus tui dn̄e memoriale tuum ad
instantiā beate ueronice ymaginem
tuam sudario impressā uoluisti relin
quere per passionem et crucem tuam.
tribue qs. ut ita nunc in terris per spe
culum in enigmate te uidere adorare.
honorare ualeamus ut et iudicem su
per nos uenientē facie ad faciem uide
re mereamur. Qui uiuis et regnas de
us. per omnia secula seculorū Amen.



Incipiunt hore de sancta cruce. Ad mat

Domine labia mea a-
peries Et os meum ā-
nuntiabit laudem tu-
am. Deus in adiu-
torium meum intēde
Domine ad adiuuan-
dum me festina. Gloria patri et filio
et spiritui sancto. Sicut erat in prin-
cipio et nunc et semper et in secula secu-
lorum. Amen. Hymnus. P.
Patris sapientia ueritas diuinā.
Deus homo captus est hora matutina.
A suis discipulis cito derelictus. A iude-
is traditus uenditus et afflictus. V.
Adoramus te xpiste et benedicimus ti-
bi quia per sanctā crucem tuam rede-
misti mundū. Oremus. Oro.
Domine ihesu xpe fili dei uiui

pone paſſionem crucem et mortem tu
am inter iuditiũ tuum et animã meã
nunc et in exitu eius et largiri digneris
uiuis miam et gratiam defunctis req
em et ueniam ecclesie tue pacem ⁊ con
cordiam et nobis pccoribus uitam et
leticiam sempiternã Qui uiuis et reg
nas deus per omnia secula sclo᷑ Amē

Deus in adiutoriũ Ad primam.
meum intende domine ad ad
iuuandum me festina. Gloria. ỽs.

Hora prima ductus est ihs ad
pylatũ. ffalsis testimonijs mľ
tum accusatum In collo percutiunt ma
nibus ligatum. Vultum dei conspu
unt lumen celi gratũ. ℣. Adoramus
te xpriste et benedicamus tibi. quia p
sanctam crucem tuam redemisti mũ
dum. Oremus. ℟. Oratio.

Domine ihesu xpe fili dei uiui po
ne passionē crucem et mortem
tuam inter iudiciū tuum et animam
meam nunc et in exitu eius et largiri
digneris uiuis miam et gratiam defū
ctis requiē et ueniam ecclesie tue pacē
et concordiā et nobis peccatoribus uitā
et leticiam sempiternam. Qui uiuis.

Deus in adiutoriū Ad terciam
meum intende. Dñe ad adiu
uandum me festina. Gloria patri. ps.

Crucifige clamitant hora tercia
rum. Illusus induitur ueste
purpurarū. Caput eius pungitur co
rona spinarū. Crucem portat hume
ris ad locum penarum. Versus. Adora
mus te xpiste et benedicimus tibi. q
a per sanctam crucem tuam redemisti
mundum. Oremus. Oratio.

Domine iheſu xpe fili dei uiui po
ne paſſionem crucem et morte̅
tuam inter iudiciu̅ tuum et aiam mea̅
nunc et in exitu eius et largiri digne̅is
uiuis miam et gratiam defunctis req
em et ueniam eccleſie tue pacem ⁊ con
cordiam et nobis p̄ccatoribus uitam et
leticiam ſempiternam. Qui uiuis etc̄.

Ad sextam.

Deus in adiutorium meum intende. Dn̄e ad adiu
uandum me feſtina. Gloria pr̄i. ps.

Hora ſexta ih̄s eſt cruci co̅clauatus. Et eſt cum latronibus p̄
dens deputatus. pre tormentis ſiciē̄s
felle ſaturatus. Agnus crimen diluit
ſic deificatus. ℣. Adoramus te xp̄e et be
nedicamus tibi quia p ſanctam cruce̅
tuam redemiſti mundum. oro.

Domine iheſu xp̄e fili dei uiui po

ne paſſionem crucẽ et mortem tuam in
ter iudiciũ tuum et animã meam nũc
et in exitu eius et largiri digneris uiuis
miām et gratiam defunctis requiem et
ueniam eccleſie tue pacem et concordiã
et nobis pccõribus uitam et letitiam
ſempiternam Qui uiuis et regnas ds.
Deus in adiutoriũ Ad nonaz.
meum intende. Dñe ad adiu
uandum me feſtina Gloria pri. ps
Hora nona dñs iheſus expira
uit Ely clamans aīam patri
cõmendauit. latus eius lancea miles
perforauit. Terra tunc contremuit et ſol
obſcurauit. V. Adoramus te xpe et bene
dicimus tibi quia per ſanctam crucem
tuam redemiſti mundũ. Oremus. Oro.
Domine iheſu xpe fili dei uiui po
ne paſſionẽ crucem et mortem

tuam inter iudiciū tuum et animā me
am nunc ⁊ in exitu eius et largiri digne
ris uiuis mi̅am et gratiam defunctis re
quiem et ueniam eccleſie tue pacem ⁊ cō
cordiam et nobis pc̄toribus uitam et le
ticiam ſempiternam. Qui uiuis ⁊ reg̃.
Deus in adiutoriū Ad ueſperas
meum intende. Dn̄e ad adiu
uandum me feſtina. Gloria pri. ps̄.
De cruce deponitur hora ueſperti
na fortitudo latuit in mente
diuina. Talem mortem ſubijt uite me
dicina. Heu corona glorie iacuit ſupina
V. Adoramus te xp̄e et benedicimus
tibi quia per ſanctā crucem tuam rede
miſti mundū. Oremus. Oro.
Domine ihesu xp̄e fili dei uiui po
ne paſſionē crucem et mortem tuam in
ter iudiciū tuum et animā meam nūc

et in exitu eius ee largiri digneris uiuis
miam et gratiam defunctis requiem et
ueniam ecclesie tue pacem ⁊ concordiaz
et nobis peccatoribus uitam et leticiā sem
piternam. Qui uiuis ⁊ regnas deus. P.
Conuerte nos deus Ad cōpletoriū
us salutaris noster Et auerte
iram tuam a nobis. Deus in adiuto
rium meū intende. Domine ad adiuuā
dum me festina. Gloria patri. ymnus.
Hora completorij datur sepultu
re Corpus xpi nobile spes uite
future Conditur aromate complentur
scripture. Jugis sic memorie hec mors
est michi cure. V. Adoramus te xpriste ⁊
benedicimus tibi quia per sanctaz cru
cem tuam redemisti mundum. oratio.
Domine ihesu xpe fili dei uiui po
ne passionē crucem et mortem

tuam inter iudiciū tuum et animam
meam nunc et in exitu eius et largiri
digneris uiuis mi̇am et graciam defūc
tis requiem et ueniā eccleſie tue pacē et
concordiā et nobis pccōribus uitam et
leticiam ſempiternā. Qui uiuis et regn̄.

Has horas canoni | Recōmendō.
cas cum deuotione. xp̄e tibi re
colo pia ratione Tu qui pro me paſſus
es penas in agone Sic labori conſonās
conſors ſim corone. Amen.



Incipiunt hore de ſancto ſpu. Ad mat.

Domine labia mea a
peries Et os meũ an
nuntiabit laudem tu
am. Deus in adiu
torium meum intēde
Domine ad adiuuan
dum me feſtina. Gloria pri et filio
et ſpiritui ſancto. Sicut erat in prin
cipio et nunc et ſemper et in ſecula ſecu
lorum. Amen. Hymnus.
Nobis ſancti ſpiritus gratia ſic
data. de qua uirgo uirginũ fuit obum
brata. Cum per ſanctũ angelũ fuit ſalu
tata. Verbum caro factũ eſt uirgo fecũ
data. Añt. Veni ſancte ſp̄s reple tuorũ
corda fidelium et tui amoris in eis ignẽ
accende. V. Emitte ſpm̄ tuum et creabũ
tur Et renouabis faciem terre. Oro.

Omnipotens ſempiterne deus da
nobis illam ſancti ſpūs gra
am quam diſcipulis tuis in die ſancto
penthecoſtes tranſmiſiſti. per eundem
xp̄m dominum noſtrum Amen. Ad primam.

Deus in adiutorium meum in
tende domine ad adiuuandum
me feſtina Gloria pr̄i. Sicut. Ps.

De maria virgine xp̄s fuit na
tus. Crucifixus mortuus atque
tumulatus. Reſurgens diſcipulis fuit
demonſtratus. Et ipſis cernentibus ce
lis eleuatus. Ant. Veni ſancte ſpiritus
reple tuorum corda fidelium et tui amoris
in eis ignem accende. V. Emitte ſpiri
tum tuum et creabuntur Et renoua
bis faciem terre. Oremus. Oro.

Omnipotens ſempiterne deus da
nobis illam ſancti ſps gratiam quam

discipulis tuis in die sancto penthecos
tes transmisisti. per eundē. Ad terciam
Deus in adiutoriū meum inten
de domine ad adiuuandū me
festina. Gloria prī. Sicut erat. ys.
Suum sanctum spiritum deus dele
gauit. In die penthecostes ipōs
confirmauit. Et de linguis igneis ipōs
inflāmauit. Relinquere orphanos eos
denegauit. Añ. Veni sancte sp̄s reple tuo
rum corda fideliū et tui amoris in eis ig
nem accende. V. Emitte spiritum tuū et crea
buntur Et renouabis faciem terre. Oro.
Omnipotens sempiterne deus da
nobis illam sancti sp̄s graciam
quam discipulis tuis in die scō penthe
costes transmisisti. per eundē. Ad sextā.
Deus in adiutoriū meum inten
de domine ad adiuuandū me

festina. Gloria patri. Sicut erat. ps.
Septiformē graciam tunc accepta
sueruunt. Quare ydeomata cuncta
cognouerunt ad diuersa climata mūdi
recesserunt. Et fidem catholicam tūc pre
dicauerunt. Añ Veni sancte spūs reple
tuorū corda fideliū et tui amoris in eis
ignē accende. V. Emitte spm̄ tuū et crea
buntur Et renouabis faciem terre. Oro.
Omnipotens sempiterne deus da
nobis illam sancti sp̄s graciaʒ
quam discipulis tuis in die scō penthe
costes transmisisti. Per eundē. Ad nonā
Deus in adiutoriū meum inten
de. Dñe ad adiuuandum me
festina. Gloria patri. Sicut erat. ps.
Spiritus paraclitus fuit appella
tus. Donū dei caritas fons uiui
ficatus. Spiritalis unctio ignis inflam

matus. Septiformis gratie carisma vocatus. Añ. Veni sancte sp̄s reple tuorum corda fideliū et tui amoris in eis ignem accende. ℣. Emitte sp̄m tuum et creabuntur Et renouabis faciem terre. Oratio.

Omnipotens sempiterne deus da nobis illam sancti sp̄s gratiam quam discipulis tuis in die sc̄o penthecostes transmisisti. p eundē. Ad vespas.

Deus in adiutoriū meum intende domine ad adiuuandum me festina. Gloria prī. Sicut erat. ps.

Dextre dei digitus virtus spiritalis. Nos defendat eruat ab omnibus malis. Vt nobis nō noceat demon infernalis. protegat et nutriat ac foueat sub alis. Añ. Veni sancte sp̄us reple tuorū corda fideliū et tui amoris in eis ignē accende. ℣. Emitte sp̄m tuum et cre

abuntur Et renouabis faciē terre. orõ.
Omnipotens sempiterne deus da
nobis illam sancti spiritus gra
tiam quam discipulis tuis in die sācto
penthecostes transmisisti. per eundem.
Conuerte nos de Ad cōpletoriū.
us salutaris noster Et auerte i
ram tuam a nobis Deus in adiutori
um meum intende domine ad adiuuā
dum me festina Gloria patri. ymnus.
Spiritus paraclitus nos uelit
iuuare. Gressus nostros regere
et illuminare. Vt cum deus uenerit om
nes iudicare. Nos uelit ad dexteram su
am appellare. Añt Veni sancte spiritus
reple tuorum corda fidelium et tui amo
ris in eis ignem accende. V. Emitte spi
ritum tuum et creabuntur Et renoua
bis faciem terre. Oremus. Oratio.

Omnipotens sempiterne deus
da nobis illam sancti spūs
graciam quam discipulis tuis in die
sancto penthecostes transmisisti per
eundem xpistum dnm̄ nrm̄ amen.
Has horas canoni R ecōmendō.
cas cum deuotione. Tibi sanc
te spiritus pia ratione. Dixi ut nos
uisites inspiratione. Sed uiuamus
iugiter celi regione. Amen.



Incipit missa beate marie uirginis.

Salue sancta parens
enixa puerpera regez
qui celum terramqz
regit in secula seculo
rum. ps. Sentiant
oms tuum iuuamē
quicunqz celebrant tuam commemo
rationem. Gloria pri. Sicut erat i.
Salue scā parens enixa puerpera re
gem qui celum terramqz regit in secu
la seculorū. Kyrieleison. Kyrielei
son. Kyrieleison. Xpisteleison.
Xpisteleison. Xpēleison. Ky
rieleison. Kyrieleison. Kyrieleis.
Gloria in excelsis laus āgelorū.
Deo. Et in terra pax hominibꝫ
bone uoluntatis. laudamus te. Bene
dicimus te. Adoramus te. Glorificamꝰ

te. Gratias agimus tibi propter mag
nam gloriā tuam. Dn̄e deus rex celes
tis. deus pater omnipotens. Dn̄e fili u
nigenite ihū xp̄e. Domine deus agn'
dei filius patris. Qui tollis peccata mū
di miserere nobis. Qui tollis peccata
mundi suscipe deprecationē nostram
Qui sedes ad dexteram pr̄is miserere
nobis Quō tu solus sanctus Tu solus
dn̄s Tu solus altissimus ihesu xpiste.
Cum sancto spiritu in gloria dei pa
tris Amen. Oremus. Oratio.
Concede nos famulos tuos q̄s
dn̄e deus perpetua mentis et corporis
salute gaudere et gloriosa beate marie
semper virginis intercessione a presen
ti liberari tristicia et eterna perfrui le
ticia. Per xpistum dn̄m nostrum.
Amen. Lectio libri sapiencie.

Ab inicio et ante ſecula creata
ſum et uſqꝫ ad futurū ſeculū
non deſinā et in habitatione ſcā coraꝫ
ipſo miniſtraui. Et ſic in ſyon firmata
ſum et in ciuitate ſāficata ſimiliter re
quieui et in ierlm̄ poteſtas mea. Et ra
dicaui in pplō honorificato et in ptes
dei mei hereditas illius et in plenitudi
ne ſcōrum detencio mea. Grad̄. Bene
dicta et uenerabilis es uirgo maria q̄
ſine tactu pudoris inuenta es mater
ſaluatoris. V. Virgo dei genitrix quē
totus non capit orbis in tua ſe clauſit
uiſcera factus homo. Alleluya. V.
poſt partum ūgo inuiolata pmanſiſ
ti dei genitrix intercede pro nobis. Se
In illo tempore. ſcdm lucam.
Loquente ihū ad turbas. Extol
lens uocem quedā mulier de turba di

xit illi. Beatus uenter qui te portauit et ubera que suxisti. At ille dixit. Quin ymo. Beati qui audiunt uerbũ dei et custodiunt illud. Deo grãs. Cymboluz.

Credo in unum deum patrem omnipotentẽ factorem celi et terre. Visibiluũ omniũ et inuisibiluz. Et in unum dnm̃ ih'm xpistum filiũ dei unigenitũ. Et ex patre natum ante oĩa secula. Deum de deo. lumen de luce. deum uerũ de deo uero. Genitum non factũ consubstancialẽ patri per quem omnia fcã sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutẽ descendit de celis. Et incarnatus est de spũ sancto ex maria uirgine Et homo fcũs est. Crucifixus eciã pro nobis sub põcio pylato passus et sepultus est Et resurrexit tercia die secundũ scripturas.

Et ascendit in celum sedet ad dexterā pa
tris. Et iterū uenturus est cū gloria iudi
care uiuos et mortuos. Cuius regni nō
erit finis. Et in spm̄ sanctum dnm̄ et ui
uificantem Qui ex prē filioqȝ procedit.
Qui cum prē et filio simul adoratur et cō
glorificatur Qui locutus est per prophe
tas Et unam scām catholicam et aposto
licam ecclesiā Confiteor unū baptisma
in remissionē peccatorum. Et expecto resur
rectionem mortuorū. Et uitam uentur
seculi. Amen. Offert. Felix namqȝ
es sacra ūgo maria et omni laude dig
nissima. Quia ex te ortus est sol iusticie
xp̄s deus noster. Sanctus. Sanctus.
Sanctus dn̄s deus sabaoth. pleni st̄
celi et terra gloria tua osanna i excelsis.
Benedictus qui uenit in nomīe do
mini osanna in excelsis Agnus dei

qui tollis peccata mundi miserere nob.
Agnus dei qui tollis peccata mundi
miserere nobis. Agnus dei qui tollis
peccata mundi dona nobis pacē. Cōm.
Beata uiscera marie uirginis q̄ por
tauerunt eterni prīs filiū. Oremus. Oīo.
Gratiam tuam q̄s dn̄e mentib;
nostris infunde ut qui angelo
nunciante xp̄i filij tui incarnationem
cognouimus p passionē eius et crucē
ad resurrectionis gloriam perducamur
per xp̄m dn̄m nostrum. Amen. Bene
dicamus dn̄o. Deo grās. Initiū sancti
euuangelij scd̄m iohēm. glā tibi dn̄e.
In principio erat uerbū ⁊ uer
bum erat apud deū et deus
erat uerbū. hoc erat in princi
pio apud deū. Omnia per ipm̄ facta sāt
et sine ipso factum est nichil. Quod fcm̄

est in ipso uita erat et uita erat lux ho
minū et lux in tenebris lucet ⁊ tenebre
eam non comprehenderunt. Fuit ho
mo missus a deo. cui nomē erat iohēs.
hic uenit in testimoniū ut testimoniū
phiberet de lumine ut oīs crederent
p illum. Non erat ille lux sed ut testio
niū perhiberet de luīe. Erat lux uera q̄
illuīat omnem hoīem uenientem in
hunc mundū. In mundo erat et mun
dus per ipm factus est ⁊ mundus eū
non cognouit. In propria uenit et sui
eū non receperunt. Quotquot autē rece
perunt eū dedit eis potestatē filios dei
fieri hijs qui credunt in nomīe eius.
Qui non ex sanguinibꝫ neqꝫ ex uolū
tate carnis neqꝫ ex uoluntate uiri sed
ex deo nati sunt. Et uerbū caro factū est
⁊ habitauit in nobis Et uidimus glo

riam eius gloriam quasi unigeniti a
patre plenum gratie et veritatis. Deo gratias.
In illo tempore. Secundum lucam.
Missus est angelus gabriel a
deo in civitatem galilee cui nomen naza
reth ad virginem desponsatam viro cui
nomen erat ioseph de domo david et no
men virginis maria. Et ingressus ange
lus ad eam dixit. Ave gratia plena dominus te
cum benedicta tu in mulieribus. Que cum
audisset turbata est in sermone eius et
cogitabat qualis esset ista salutacio. Et
ait angelus ei. Ne timeas maria inveni
sti enim gratiam apud dominum. Ecce concipi
es in utero et paries filium et vocabis
nomen eius ihesum. Hic erit magnus et
filius altissimi vocabitur Et dabit illi
dominus deus sedem david patris eius et reg
nabit in domo iacob in eternum. et regni

eius non erit finis. dixit autē maria
ad angelū. Quomodo fiet istud qm̄
virum non cognosco. Et respondēs an
gelus dixit ei. Sp̄s sanctus superueniet
in te et uirtus altissimi obumbrabit tibi.
Ideoqȝ et quod nascetur ex te sanctū uoca
bitur filius dei. Et ecce elizabeth cogna
ta tua et ipsa concepit filium in senec
tute sua. Et hic mensis est sextus illi q̄
uocatur sterilis quia non erit impossi
bile apud deū omne uerbū. dixit autē
maria. Ecce ancilla dn̄i fiat michi se
cundū uerbum tuum. Deo gr̄as. Scd̄m
In illo tempore. Cū matheum
natus esset ih̄s in bethleem iu
de in diebꝫ herodis regis Ecce magi ab
oriente uenerunt iherosolimā dicētes.
Vbi est qui natus est rex iudeorū. Vidi
mus enim stellā eius in oriente et uen[i]

mus adorare eũ Audiens autẽ herodis
rex turbatus est et oĩs iherosolima cum
illo. Et congregans oĩs principes sacer
dotum Et scribas ppli sciscitabatur ab eis
ubi xp̄s nasceretur. At illi dixerunt in
bethleem iude sic enĩ scriptũ est per pro
phetam. Et tu bethleem terra iuda neq̃
quã minima es in principibus iuda
Ex te enĩ exiet dux qui regat populum
meũ israel. Tunc herodes clam uocatis
magis diligenter didicit ab eis tẽpus
stelle que apparuit eis. Et mittens eos
in bethleem dixit. ite et interrogate dili
genter de puero. et cũ inueneritis renũ
tiate michi. ut et ego ueniens adorem
eũ. qui cum audissent regem abierũt
Et ecce stella quã uiderant in oriente ã
te cedebat eos usq3 dũ ueniens staret
supra ubi erat puer. Videntes autem

stellam gauisi sunt gaudio magno ual
de Et intrantes domum inuenerunt pue
rum cū maria matre eius. Et procidentes
adorauerunt eū Et apertis thesauris suis
obtulerunt ei munera. aurū thus ⁊ mir
ram. Et responso accepto in sompnis ne
redirent ad herodem per aliam uiam re
uersi sunt in regionem suam. Deo grās.
In illo tempore. Secundū marcū
Recumbentibꝫ undecim discipu
lis apparuit illis dn̄s ih̄s Et exprobrauit
incredulitatē illorū et duriciam cordis.
quia hijs qui uiderant eū resurrexisse a
mortuis non crediderunt Et dixit eis. E
untes in mundū uniuersū predicate e
uangeliū omni creature Qui crediderit
et baptiçatus fuerit saluus erit. Qui uerō
non crediderit condempnabitur. signa
autem eos qui crediderint hec sequētur

In nomine meo demonia eiicient lingu
is loquentur nouis ſerpentes tollent.
Et ſi mortiferū quid biberint nō eis no
cebit. Super egros manus imponent et
bene habebunt. Et dn̄s quidem iheſus
poſtq̄ locutus eſt eis. Aſſumptus eſt in
celum et ſedit a dextris dei. Illi autē pro
fecti predicauerunt ubiqꝫ dn̄o coopan
te et ſermonē confirmante ſequentibꝰ
ſignis. Deo gratias.



Incipiunt hore beate marie virginis se
cundum usum romanum. Ad matutinum.

Domine labia mea a
peries Et os meum an
nuntiabit laudem tu
am. Deus in adiu
torium meum intende
Domine ad adiuuan
dum me festina. Gloria patri et filio
et spiritui sancto. Sicut erat in principio
et nunc et semper et in secula seculorum
Amen. Inuitatorium. Aue maria gracia
plena dominus tecum. Psalmus.
Venite exultemus domino iubile
mus deo salutari nostro preoccupemus
faciem eius in confessione et in psalmis
iubilemus ei. Aue maria. Quoniam deus
magnus dominus et rex magnus super omnes
deos quoniam non repellet dominus plebem suam

quia in manu eius sunt om̃s fines ter
et altitudines montiũ ipse conspicit.
Dñs tecum. Qm̃ ipsius est mare ⁊ ip
se fecit illud et aridã fundauerunt ma
nus eius uenite adoremus et procida
mus ante deum ploremus coram dño
qui fecit nos quia ipse est dñs deus
noster nos autem ppl'ũs eius ⁊ oues
pascue eius. Aue maria. Hodie si uo
cem eius audieritis nolite obdurare
corda uestra sicut in exacerbatione se
cundum diem temptationis i deserto
ubi temptauerunt me p̃res uestri pro
bauerunt ⁊ uiderunt opera mea. Dñs
tecum. Quadraginta annis proxi
mus fui generationi huic et dixi sem
per hij errant corde ipsi uero nõ cogno
uerunt uias meas quibus iuraui i ira
mea si introibunt in requiem meam

Aue maria. Gloria pri. Sicut erat.
Dominus tecum. Aue maria. Ymnus.
Quem terra pontus ethera colũt
adorant predicant trinã regen
tem machinã claustrũ marie baiulat.
Cui luna sol et oĩa deseruiunt per
tempora pfusa celi gratia gestant puel
le uiscera. Beata mater munere cu
ius supnus artifex mundũ pugillo
continens uentris sub archa clausus
est. Beata celi nuncio fecunda sãcto
spũ desideratus gentibus cuius p aluũ
fusus est. Gloria tibi dñe qui natus
es de uirgine cum pře et sancto spiritu
in sempiterna secula. Amen. Isti tres
psalmi dicuntur dieb; dñicis lune et
Iouis. Añ. Benedicta tu. ps.
Domine dñs noster quam ad
mirabile est nomen tuũ in uniuersa

terra. Qm̃ eleuata eſt magnificẽtia
tua ſuper celos. Ex ore infantium ⁊
lactentiũ perfeciſti laudẽ propter inimi
cos tuos ut deſtruas inimicũ et ultorẽ.
Qm̃ uidebo celos tuos opa digitorũ
tuorũ lunam et ſtellas que tu fũdaſti.
Quid eſt homo quod memor es eiꝰ
aut filius hominis qm̃ uiſitas eum.
Minuiſti eũ paulominus ab ange
lis gloria et honore coronaſti eum ⁊ cõ
ſtituiſti eũ ſuper opa manuũ tuarum.
Omnia ſubieciſti ſub pedibꝰ eius
oues et boues uniũſas inſuper et peco
ra campi. Volucres celi ⁊ piſces ma
ris qui perambulant ſemitas maris.
Domine dñs noſter quã admirabile
eſt nomen tuum in uniũſa terra. Glo
ria patri. Añ. Benedicta tu in mulieri
bus et benedictus fructus uentris

tui. Añc Sicut mirra. psalm9
CEli enarrant gloriā dei et opera
manuū eius annunciat firmamentū
Dies diei eructat uerbū ⁊ nox nocti
indicat scientiā Non sunt loquele
neqȝ sermones quorū non audiantur
uoces eorū. In omnem terrā exiuit
sonus eorū et in fines orbis terre uerba
eorū In sole posuit tabernaculuȝ
suum et ipse tamquā sponsus procedēs
de thalamo suo. Exultauit ut gigas
ad currendā uiam a sūmo celo egressio
eius Et occursus eius usqȝ ad sūmū
eius nec est qui se abscōdat a calore eius.
Lex dñi immaculata conuertens aīas
testimoniū domini fidele sapientiam
prestans paruulis. Iusticie dñi recte
letificantes corda preceptū dñi lucidū
illuminans oculos. Timor dñi sctūs

ꝑmanet in seculũ seculi iudicia domini
uera iustificata in semetipsa. Desi-
rabilia super aurũ et lapidem preciosũ
multũ et dulciora super mel et fauum
Etenim seruus tuus custodit ea in cu-
stodiendis illis retribucio multa. De-
licta quis intelligit ab occultis meis
munda me ⁊ ab alienis parce seruo tuo.
Si mei non fuerint dñati tunc im-
maculatus ero ⁊ emundabor a delicto
maximo. Et erunt ut complaceant
eloquia oris mei et meditacio cordis
mei in conspectu tuo semꝑ. Dñe ad-
iutor meus ⁊ redẽptor meus. Gloria
Añ. Sicut mirra electa odorẽ dedisti sua-
uitatis scã dei genitrix. Añ. Ante thor. ps.
Domini est terra ⁊ plenitudo eius
orbis terrarũ et uniũsi qui ha-
bitant in eo. Quia ipse super maria

fundauit eum et sup flumina prepa
uit eū. Quis ascendet in montē dn̄i
aut quis stabit in loco scō eius. In
nocens manibus et mundo corde qui
non accepit in uano aīam suam nec
iurauit in dolo proximo suo. Hic ac
cipiet benedictionem a dn̄o et miām a
deo salutari suo. Hec est generatio
querentiū eum querentiū faciem dei
iacob. Attollite portas prīcipes ues
tras et eleuamini porte eternales et in
troibit rex glorie. Quis est iste rex
glorie dn̄s fortis et potens dn̄s potēs
in prelio. Attollite portas prīcipes
urās et eleuamini porte eternales et in
troibit rex glorie. Quis est iste rex
glorie dn̄s uirtutū ipse est rex glorie.
Gloria pri. An̄. Ante thorū huius uir
ginis frequentate nobis dulcia canti

ca dragmatis. ℣. Diffusa est gracia in
labiis tuis propterea benedixit te deus
in eternū. Isti tres psalmi dicuntur dieb9
martis et veneris. Añt. Specie tua. Ps.

Eructavit cor meū verbum bo
num dico ego opera mea regi.
Lingua mea calamus scribe velociter
scribentis. Speciosus forma p̄ filiis
hominū diffusa est grā in labiis tuis
propterea benedixit te deus in eternū.
Accingere gladio tuo sup femur tuū
potentissime. Specie tua et pulcritudi
ne tua intende prosper procede et regna.
Propter veritatē et mansuetudinē
et iusticiā et deducet te mirabiliter dex
tera tua. Sagitte tue acute ppli sub
te cadent in corda inimicorum regis.
Sedes tua deus in seculū seculi vir
ga directionis virga regni tui. Dilex

iſti iuſticiã et odiſti iniquitatẽ propterea
vnxit te deus deus tuus oleo leticie pre
conſortibus tuis. Mirra et gutta et ca
ſia a ueſtimentis tuis a domibus ebur
neis ex quibus delectauerunt te filie regũ
in honore tuo. Aſtitit regina a dextris
tuis in ueſtitu deaurato circũdata uarie
tate. Audi filia et uide et inclina aurẽ
tuam et obliuiſcere populũ tuum et do
mum patris tui. Et concupiſcet rex de
corem tuum quoniam ipſe eſt dominus deus tuus
et adorabunt eũ. Et filie tyri in mune
ribus uultũ tuum deprecabuntur omnes
diuites plebis. Omnis gloria eius
filie regis ab intus in fimbriis aureis
circũamicta uarietatibus. Adducen
tur regi uirgines poſt eã proxime eius
offerentur tibi. Offerentur in leticia
et exultacione adducentur in templũ

regis. Pro p̄ribus tuis nati sunt ti
bi filii constitues eos principes sup̄ om
nem terram. Memores erunt noīs
tui dñe in omni generatione et genera
tionem. Propterea populi confite
buntur tibi in eternū et in seculū seculi.
Gloria pri. Añ. Specie tua et pulcri
tudine tua intende prospere procede et
regna. Añ. Adiuvabit. ps̄.
Deus noster refugiū et virtus
adiutor in tribulationibus que inve
nerunt nos nimis. Propterea non
timebimus dū turbabitur terra et trans
ferentur montes in cor maris. Sonu
erunt et turbate sunt aque eorum con
turbati sunt montes in fortitudine ei9.
Fluminis impetus letificat civitatē
dei sāficavit tabernaculū suum altissi
mus. Deus in medio eius non com

mouebitur adiuuabit eam deus mane
diluculo. Conturbate ſunt gentes ⁊
inclinata ſunt regna dedit uocem ſuam
mota eſt terra. Dn̄s uirtutum nobiſ
cum ſuſceptor noſter deus iacob. Glo
ria p̄ri. An̄. Adiuuabit eam deus uultu
ſuo deus in medio eius non commoue
bitur. An̄. Sicut letantium. pſalmus.

Fundamenta eius in montibꝫ
ſanctis diligit dn̄s portas ſyō
ſuper oīa tabernacula iacob. Glorio
ſa dicta ſunt de te ciuitas dei. Memor
ero raab et babilonis ſcientium me.
Ecce alienigene et tyrus et populus
ethyopū hy fuerunt illic. Numquid ſy
on dicet homo et homo natus eſt in ea
et ipſe fundauit eā altiſſimus. Dn̄s
narrabit in ſcripturis ppl'orum et prin
cipum horū qui fuerunt in ea. Sicut

letantiū omniū habitacio est in te. ℣
Gloria patri. Añt Sicut letantium
omī nostroꝝ habitacio est in te sc̄a
dei genitrix. Isti tres psalmi dicuntur
mercurii et sabbati. Antiph Gaude
Cantate dn̄o canticū nouum
cantate dn̄o omnis terra.
Cantate dn̄o et benedicite nomini
eius annuntiate de die in diem saluta
re eius. Annuntiate inter gētes glo
riam eius in omnibus populis mira
bilia eius. Qm̄ magnus dn̄s ⁊ lau
dabilis nimis terribilis es sup om̄s
deos. Qm̄ om̄s dij gentiū demoni
a dn̄s autem celos fecit. Confessio
⁊ pulcritudo in conspectu eius sc̄imo
nia ⁊ magnificentia in sc̄ificatione e
ius. Afferte dn̄o patrie gentiū af
ferte dn̄o gloriam ⁊ honorem afferte

dn̄o gloriam nomini eius. Tolli
te hostias ⁊ introite in atria eius ado
rate dn̄m in atrio sc̄o eius. Commo
ueatur a facie eius uniu̇sa terra dicite
in gentibus quia dn̄s regnauit. Et
enim correxit orbē terre qui non commo
uebitur iudicabit populos in eq̄tate
Letentur celi et exultet terra commo
ueatur mare ⁊ plenitudo eius gaude
bunt campi et omnia que in eis sūt.
Tunc exultabunt oīa ligna silua
rum a facie dn̄i quia uenit qm̄ uenit
iudicare terrā. Iudicabit orbē ter
re in equitate et populos i ueritate sua
Gloria pr̄i. Añ Gaude maria uirgo
cunctas hereses sola interemisti in uni
uerso mundo. Añ Dignare me. ps.
Dominus regnauit exultet terra
letentur insule multe. Nubes

et caligo incircuitu eius iusticia et iu
diciū correctio sedis eius. Ignis
ante ipm̄ precedet ⁊ inflāmabit incir
cuitu inimicos eius. Alluxerūt ful
gura eius orbi terre vidit et cōmota ē
terra. Montes sicut cera fluxerunt
a facie dn̄i a facie domini oīs terra.
Annūciauerunt celi iusticiā eius
⁊ viderunt oēs populi gloriā eius.
Confundantur oēs qui adorāt
sculptilia et qui gloriantur in simu
lachris suis. Adorate eum oēs an
geli eius. Audiuit et letata est syon.
Et exultauerūt filie iude propter
iudicia tua dn̄e. Quia tu dn̄s altissi
mus super oēm terram nimis exalta
tus es super oēs deos. Qui diligi
tis dn̄m odite malum custodit dn̄s
aīas scōrum suorū de manu peccatoris

liberabit eos. Lux orta est iusto et
rectis corde leticia. Letamini iusti i
dn̄o et confitemini memorie sanctifi
cationis eius. Gloria. An̄. Dignare
me laudare te virgo sacrata da michi v
irtutē contra hostes tuos. An̄. post ptū.
Cantate dn̄o canticū nouū ps.
quia mirabilia fecit. Salua
uit sibi dextera eius et brachiū sanctū
eius. Notum fecit dn̄s salutare suū
in conspectu gentiū reuelauit iusticiā
suam. Recordatus est mīe sue et ue
ritatis sue domui israel. Uiderunt
oēs termini terre salutare dei nostri.
Iubilate deo oīs terra cantate et ex
ultate et psallite. Psallite dn̄o in cy
thara in cythara et voce psalmi i tubis
ductilibꝫ et voce tube cornee. Iubila
te in conspectu regis dn̄i moueatur ma

re et plenitudo eius orbis terrarum et qui habitant in eo. Flumina plaudent manu simul montes exultabunt a conspectu domini quia venit iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iusticia et populos in equitate. Gloria patri. Antiphona. Post partum virgo inviolata permansisti dei genitrix intercede pro nobis. loco. post partum. per totum adventum dicatur hec. Antiphona. Angelus domini nunciavit marie et concepit de spiritu sancto. allelvya. Pater noster. Et ne nos. Absolutio. Precibus et meritis beate marie virginis et omnium sanctorum perducat nos dominus ad regna celorum Amen. Benedictio. Iube domne benedicere. ℟. Nos cum prole pia benedicat virgo maria. Amen. Lectio. Prima. In omnibus requiem quesivi et

in hereditate dni morabor tunc precepit
et dixit michi creator omnium et qui crea
uit me requieuit in tabernaculo meo.
Et dixit michi in Jacob inhabita et in
israel hereditare et in electis meis mit
te radices Tu autem dne miserere nri.
Deo gratias. R. Sancta et immaculata
uirginitas quibus te laudibus referam
nescio. Quia quem celi capere non pote
rant tuo gremio contulisti. V. Benedi
cta tu in mulieribus et benedictus fruc
tus uentris tui. Quia quem. lco scda
Et sic in syon firmata sum et in
ciuitate sanctificata similiter requi
eui et in ihrlm potestas mea. Et radicaui
in populo honorificato et in partes dei mei
hereditas illius et in plenitudine sco
rum detentio mea. Tu autem. R. Beata
es uirgo maria que dnm portasti crea

torem mundi. Genuisti qui te fecit et in
eternum permanes uirgo. V. Aue ma
ria gratia plena dn̄s tecum. Genuisti
Iube dn̄e benedicere. V. Per uirgi
nem matrē concedat nobis dn̄s salu
tem et pacem. Amen. Lectio. Tercia.
Quasi cedrus exaltata sum in ly
bano et quasi cypressus in mō
te syon. Quasi palma exaltata sum in
cades et quasi plantatio rose in iericho.
Quasi oliua speciosa in campis et qua
si platanus exaltata sum iuxta aquā
In plateis sicut cynamomū et balsa
mum aromatizans odorē dedi quasi
mirra electa dedi suauitatem odoris.
Tu autem. V. Felix namque es sacra ū
go maria et omni laude dignissima
Quia ex te ortus est sol iusticie xp̄us
deus noster. R. Ora pro populo inter

nem pro clero intercede pro deuoto fe
mineo sexu. Sentiant om̄s tuum iuua
men quicunqz celebrant tuam cōme
morationem. Quia ex te ortus ē sol iu
sticie xp̄s deus noster Gloria pr̄i ⁊ filio
⁊ spiritui sc̄o. xp̄istus deus noster. cān.

Te deum laudamus te dominū
confitemur. Te eternum pa
trem omnis terra ueneratur. Tibi
om̄s angeli tibi celi et uniūse potesta
tes. Tibi cherubin et seraphin inces
sabili uoce proclamant. Sanctus
Sanctus Sanctus dn̄s deus sa
baoth. Pleni sunt celi et terra maie
statis glorie tue. Te gloriosus aplō
rum chorus. Te prophetarū lauda
bilis numerus. Te martyrum cā
didatus laudat exercitus. Te per or
bem terrarum sc̄a confitetur ecclesia.

Patrem immense maiestatis. Ve
nerandum tuum uerum et unicum fi
lium. Sanctum quoqz paraclitum
spiritum. Tu rex glorie xpiste. Tu
pris sempiternus es filius. Tu ad
liberandū suscepturus hominē non
horruisti uirginis uterū. Tu deuic
to mortis aculeo aperuisti credentib9
regna celorū. Tu ad dexteram dei se
des in gloriam pris. Iudex crederis
esse uenturus. Te ergo qs famulis
tuis subuenī quos precioso sangui
ne redemisti. Eterna fac cū sanctis
tuis in gloria munerari. Saluum
fac populū tuum dn̄e et benedic here
ditati tue. Et rege eos et extolle il
los usqz in eternum. Per singu
los dies benedicimus te. Et lau
damus nomen tuum in seculum ⁊

et in seculum seculi. Dignare domi
ne die isto sine peccato nos custodire.
Miserere nostri domine miserere
nostri. Fiat misericordia tua do
mine super nos quemadmodum
speravimus in te. In te domine
speravi non confundar in eternum.
V. Ora pro nobis sancta dei geni
trix. Ut digni efficiamur promissio
ne xpisti.



Deus in Ad laudes.
adiutorium meum in
tende domine ad ad
iuuandum me festi
na. Gloria patri.
Sicut erat in pri
cipio. Ant. Assumpta est maria. ps.
Dominus regnauit decorem i
nduitus est induitus est dn̄s for
titudinem et precinxit se. Etenim fir
mauit orbem terre qui non commo
uebitur. Parata sedes tua ex tunc a
seculo tu es. Eleuauerunt flumina
dn̄e eleuauerunt flumina uocem suã.
Eleuauerunt fluīa fluctus suos a
uocibus aquarũ multarũ. Mirabi
les elationes maris mirabilis in al
tis dn̄s. Testimonia tua credibilia
facta sunt nimis domũ tuam decet sã

tudo dñe in longitudine dierum. Glo
ria patri. Ant. Assumpta est maria in ce
lum gaudent angeli laudantes bene
dicunt dominum. Ant. Maria uirgo. Ps.
Iubilate deo omnis terra seruī
te dño in leticia. Introite i
conspectu eius in exultatione. Sci
tote quoniam dñs ipse est deus ipse fecit
nos et non ipsi nos. Populus eius
et oues pascue eius introite portas e
ius in confessione atria eius in ymnis
confitemini illi. Laudate nomen
eius quoniam suauis est dñs in eternum mi
sericordia eius et usque in generatione
et generationem ueritas eius. Gloria
Ant. Maria uirgo assumpta est ad ethere
um thalamum in quo rex regum stellato
sedet solio. Ant. In odore. Ps.
Deus deus meus ad te de luce

49

uigilo. Sitiuit in te aīa mea quam multipliciter tibi caro mea. In terra deserta in uia et inaquosa sic in scō apparui tibi ut uiderē uirtutem tuam et gloriam tuam. Quō melior est miā tua super uitas labia mea laudabunt te. Sic benedicam te ī uita mea et in noīe tuo leuabo manus meas. Sicut adype et pinguedine repleatur anima mea et labiys exultacionis laudabit os meū. Si memor fui tui sup stratum meum in matutinis meditabor in te quia fuisti adiutor meus. Et in uelamento alarū tuarū exultabo adhesit aīa mea post te me suscepit dextera tua. Ipsi uero in uanū quesierunt animā meam introibunt in inferiora terre tradentur in manus gladij partes uulpiū erunt.

Rex uero letabitur in deo laudabũtur omnes qui iurant in eo quia obstructum est os loquentium iniqua. p̃mis.
Deus misereatur nr̃i et benedicat nobis illuminet uultum suum super nos et misereatur nostri.
Ut cognoscamus in terra uiam tuā in omnibus gentibus salutare tuum.
Confiteantur tibi populi deus confiteantur tibi populi om̃s. Letentur et exultent gentes qm̃ iudicas p̃plos in equitate et gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi deus cõfiteantur tibi populi om̃s terra dedit fructũ suum. Benedicat nos deus deus noster benedicat nos deus et metuant eum om̃s fines terre. Gloria pr̃i. Añ. In odore unguentorũ tuorum currimus adolescentule dilexerunt te

nimus. Añt Benedicta. ps̄.
Benedicite omnia opera domini
domino laudate et superexaltate eum in
secula. Benedicite angeli dñi dño
benedicite celi dño. Benedicite aq
om̄s que sup celos sunt dño benedici
te om̄s virtutes domini dño. Bene
dicite sol et luna dño benedic̄ stelle celi do
mino. Benedicite ymber et ros dño
benedic̄ omnis spūs dei dño. Benedic̄
ignis et estus dño benedicite frigus et
estas dño. Benedicite rores et prui
na dño benedic̄ gelu et frigus dño. Be
nedicite glacies et nives dño benedici
te noctes et dies dño. Benedicite lux
et tenebre dño benedic̄ fulgura et nubes
dño. Benedicat terra dñm laudet ⁊
superexaltet eū in secula. Benedicite
montes et colles dño benedicite vni

uerſa germinantia in terra domino.
Benedicite fontes dño benedicite
maria et flumina dño. Benedici
te cete et omnia que mouentur i aquis
dño benedicite om̄s uolucres celi do
mino. Benedicite om̄s beſtie et pe
cora dño bened̄ filij hominū domiō.
